6.

REGULA CHRISTIANORUM,

à

Theologo beatissimo

D. MARTINO CHEMNITIO

declarata.



Sigillatim hac cum declaratione, in usum communiorem, prodiit tempore Paschali a. MDCCXXXVI.

accurante

D. J. J. BREITHAUPTO A. B.

Hallæ Magdeburgicæ

Typis Orphanotrophei M DCC XXVI.

IDEA CHRISTIANI,

Secundum CHRISTI Regulam, seu Canonem Apostolicum, incedentis.

Discipulus Domini totum sese abdicat ipsum: (a)
Nam sibi inesse videt nil, nisi turpe malum. (b)
Tolle crucem, mea mens! ait; huic suffigere carnem, (c)
Disce (d), die quovis (e): sic patet omne bonum! (f)
Atque ita, dum sequitur CHRISTI vestigia semper;
Fit leo: nec quisquam fortius ire valet. (g)

(a) Matth. XVI, 24. Marc. VIII, 34. Luc. IX, 23. Joh. XII, 24, 25. (b) Gen. VI, 5. Matth. XVI, 22, 23. Luc. V, 8. Rom. VII, 18. (c) Gen. IV, 7. Jerem. Thr. III, 27. Gal. V, 24. VI, 14. Hebr. XII, 1. - 13. 28. Jac. I, 14, 15. (d) Psalm. XL, 7, 8, 9. L, 17. Esa. L, 4. conf. cum Hebr. II, 9, 10, 11. V, 8, 9. (e) Luc. IX, 23. Ps. I, 2. Jer. Thr. III, 23. Matth. VI, 34. Hebr. IV, 7. 11. (f) Ps. XXII, 27. XXIII, 4, 5, 6. CXI, 10, 11. Rom. VIII, 6. 13. 28. 37. 1. Cor. II, 7, 8. 14. conf. cum Ps. LI, 7, 8. XXV, 14. (g) Ps. XXXVII, 16. 18. 23. 30, 31. 34. 37. LXXXIV, 6. Prov. XXX, 29, 30. Joh. VIII, 12. Gal. VI, 16.



REGULA CHRISTIANORUM.

Luc. IX, 23.

CHRISTUS ad omnes dicebat: Si quis vult poſt me venire, abneget ſemet ipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur me.

B. D. CHEMNITIUS, Harmoniæ Evangel. c.LXXXVI. p. 949. &c.

QUotquot ab æternâ veritate aberrare nolunt, attendant ad hanc *Regulam* CHRISTI, quam, *convocatâ omni turbâ*, *AD OMNES DIXIT*. Hæc enim eſt illa regula, de qua Apoſtolus gentium Paulus pronunciavit: *Quicunque ſecundum hanc REGULAM incedent, pax ſuper illos & mi-*

ſericordia, & *ſuper Iſraëlem DEI!* Gal. VI, 16. Hi enim ſunt veri *Iſraëlitæ*, quos Chriſtus pro ſuis agnoſcit, quod *in ipſis nullus ſubdolus*. Joh. I, 47. (Pſ. XXXII, 2.) Antequam tamen *Canonem* ipſum, ſeu Regulam, examinemus; attendenda eſt hæc *univerſalitas*, qua Chriſtus in genere dicit: *SI QUIS vult poſt me venire*. Neminem cogit, ut contra ſuam voluntatem ſe ſequatur. *Si quis* enim meliorem ſalutis rationem invenire cupiat, per Chriſtum licet. *Si quis* tamen ipſius *diſcipulus* fieri, per ipſum ſervari, & æternæ beatitudinis, quam ipſe comparavit, conſors fieri cupiat; hanc Regulam ſervet. Nullum hîc ordinis, nullum perſonarum diſcrimen, immunitatem ulli afferet, quò minùs ad *obſervationem* hujus *regulæ* ſit obſtrictus. Qui quoque ab hac regula & diſciplina Chriſti ſolutus vitam degit, is Chriſtiano nomine eſt indignus. Etenim non ſufficit, Chriſtianum nominari, in Chriſti nomine baptizatum eſſe, externas, Chriſtianæ genti uſitatas, ceremonias obſervare: ſed multò magis omnis cogitatio, cura, opera, tempus, labor, ponenda & conſumenda

ſunt

ſunt in tenendâ & fideliter obſervandâ hac Chriſtianæ vitæ regulâ, ut ſic re ipſa veri & DEO grati Chriſtiani exiſtamus. Nam, *non omnis, qui dicit, Domine, Domine! introibit in regnum cælorum; ſed, qui facit voluntatem Patris, qui in cælis eſt.* Matth. VII, 21.

Sunt autem regulæ hujus, vitam Chriſtianorum moderantis, partes tres. Prima præcipit *abnegationem ſui ipſius.* Secunda, *quotidianæ crucis ſublationem.* Tertia, *ſequelam & imitationem virtutum Chriſti Magiſtri.* Singulas ordine videamus.

ABNEGARE aliquid quis dicitur, cùm alicui rei ex animo renunciat, eam prorſus aſpernatur, usque adeò, ut, licet in poteſtate ipſius ſit, illam tamen neque nôſſe, neque illâ uti, neque ullam conſuetudinem cum eâ habere velit. Sic pater dicitur abnegare filium, quem non ampliùs pro ſuo agnoſcere, nullis beneficiis afficere, nec ullâ paternâ benevolentiâ proſequi velit. Honeſtus maritus abnegat uxorem adulteram, ob perfidiam & libidinem non ampliùs pro conjuge agnoſcens. *Abnegare ſemet ipſum,*

 eſt,

eſt, ſuo arbitrio, ſuæ voluntati & omnibus propriis animi ſui motibus placitisque renunciare, proprios affectûs negligere, ſuggeſtiones ac ſuaſiones eorum comprimere & repellere; atque poſthac, non ſibi ipſi, ſed illi deditum eſſe, quem in Dominum ac Magiſtrum quis delegit. Sic hoc verbum Chriſtus ipſe in ſuâ perſonâ declarat, quando dicit Johann. V, 30. *Non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me.* Et Lucæ XXII, 42. *Pater, non mea voluntas, ſed tua fiat! Abnegat* ergò Chriſtianus *ſe ipſum*, quando diffiſus humanæ ſuæ ſapientiæ, rationem ſuam contemnens, conſilia ſua abjiciens, arbitrium ſuum nihili æſtimans, & affectibus cupiditatibusque ſuis prorſus non indulgens, contra rationem, intelligentiam, voluntatem, conſilia, affectus, appetitiones omnes, ſe totum Deo, & verbo ejus, per fidei obedientiam ſubjicit, regendumque exhibet, quò ſoli illius ſanctæ majeſtati probetur, qualeſcunque aliàs eventûs in hâc vitâ ſortiatur.

Cæterùm, eſt etiam hæc *ABNEGATIO* ſecundum ſubjectas partes, in quibus

ea

ea occupatur & exercetur, consideranda: tum res omnis fiet illustrior. Christianus enim homo abnegare debet omnes animæ suæ vires, tam *superiores*, quàm *inferiores*; ut sic se totum hostiam tradat DEO. Quoad *SUPERIORES*, abneganda est omnis intelligentia carnalis, abneganda omnis voluntas carnalis. *Intellectus* hominis perpetuus quidem infinitarum cogitationum fons est, quas incidentes memoria suscipit, & interdum apud se depositas conservat. Hæ verò carnis cogitationes, aliæ sunt otiosæ, aliæ curiosæ, aliæ violentæ, aliæ à spiritu immundo suggestæ, fœtidæ, omnes denique corruptæ. Hæ sunt repurgandæ, juxta fidei doctrinam reformandæ, imò prorsus mortificandæ; & cogitationes Christiani hominis ad gloriam DEI, ad proximi ædificationem, & ad sui salutem convertendæ. Et, quia *sensûs* nostri sunt *intellectûs ministri* atque satellites; idcircò & ipsi forti abnegatione sunt purgandi, ut Dei obsequio sese dedant. *Oculi* sunt avertendi, ne videant vanitatem: *aures* claudendæ, ne audiant impia vel obscœna: *manus* &

pedes conſtringendi, ne contrectent aliena, vel ambulent viam iniquitatis: *phantaſia* compeſcenda, ne vanarum imaginum turbam menti offerat, quarum copiâ intellectus obrui poſſit. Denique a ratione & judicio, a cogitatione & ſenſu, omnis malitia arcenda eſt, ut omnia Divinæ ſanctimoniæ virtute in nobis imbuta deprehendantur. Deinde etiam *voluntas propria* eſt abneganda. Hæc enim voluntati Dei prorſus eſt contraria, nec ſe ſubjicit Divinæ; ſed hanc potiùs ad ſe flectere, & ſuæ conjungere, conatur: ut in *PETRO* vidimùs. Quærit tantùm, quæ ſua ſunt; ſe ipſâ delectatur, & neglectis aliis omnibus, amore ſui quaſi capta, tota intenta eſt in proprium commodum. Huic ſuæ voluntati ſi quis indulgeat, reducit eum ipſa in ſervitutem Diaboli. Ergò intellectus Chriſtiani hominis, verbi Divini luce illuſtratus, ubi intellexerit, quæ ſit ſancta & juſta Dei voluntas; ſuam etiam propriam voluntatem impellat, ut fortiter ſe abneget, tota à Dei voluntate pendeat, eamque, ceu Magiſtram ſuam, in totâ vitâ ſequatur. Et hæc eſt *abnegatio* *ſu-*

ſuperiorum virium, Rationis & Voluntatis.

INFERIORUM virium *abnegatio* eſt crucifixio omnium pravorum affectuum & cupiditatum, adhæc malorum habituum inde enatorum. Hos malos affectûs ſi ordine recenſere velimus: (1) primum locum obtinet *prava concupiſcentia*, quæ eſt omnium malorum fomes, quo homo ad peccatum incitatur, & nullo negotio ad illud perpetrandum devolvitur, niſi per Dei gratiam impediatur. *Unusquisque* enim *tentatur, à propriâ concupiſcentiâ abſtractus & illectus.* Jacob. I, 14. Verus ergò Chriſtianus prudenter attendit, quales habeat naturales inclinationes ad malum; &, quando eas agnoſcit atque deprehendit, mox tanquam peſſimos ſuos hoſtes, quibus Diabolus ceu adminiſtris ad ſe perdendum uti velit, ſtudio abnegationis jugulat, & per Dei gratiam removet. (2) Concupiſcentiam, ceu fomitem, ſequuntur *vitioſi affectûs* & pravæ animi commotiones. Ad has, ne excreſcant, ſecurim abnegationis admovere debet Chriſtianus. Magnas & efficaces ad præpedien-

enda peccata vires habet abnegatio, si pravi animi affectûs primo statim initio coërceantur. Caveat ergò Christianus, ne otio torpeat. Animus bonis cogitationibus occupetur, ne malis motibus obruatur. (3) *Φιλαυτία* quoque & *amor proprius* per abnegationem abjiciendus. Ubi enim hic affectus dominatur, ibi omnem intentionem inquinat, pervertit, & facit, ut homo non Deum, sed se ipsum intueatur, nec quicquam aliud in suo proposito, quàm se ipsum solum, quærat. Iccircò hic affectus ex toto pectore evellendus est. Periit homo, amando se: ergò in viam salutis restituatur, abnegando se. Et reverà, si homo attentè consideret, quot & quantæ corruptelæ & pravæ propensiones ex se ipso oriantur, non potest non incipere *se ipsum odisse*, nauseare, contemnere, sibi indignari, & propria dedecora exprobrare. Unde pium sui ipsius odium, vicissim autem sanctus Dei amor, exoritur. (4) *Luxuriæ vitium* potissimùm juventuti insidiatur, & hominem mox à pubertatis tempore incipit oppugnare.

re. Hîc ergò caro ſeverè eſt domanda: cor, ne impuris & ſordidis cogitationibus incendatur, diligenter cuſtodiendum; omnes pravæ appetitiones, quamprimùm excitantur, ſtatim expellendæ; omnis libido acriter coërcenda, & metu ſempiterni ſupplicii (quod iis imminet, qui in hoc affectu non viriliter contra ſe ipſos decertant) caro ad veram continentiam eſt adigenda. (5) Vice verſâ, *avaritia* provectioris ætatis homines potiſſimùm occupat; ut nullis divitiis, nullâ copiâ ſatiari queant, ſed, quò minus ſupereſt viæ, eò plus requirant viatici. *At avaritia radix eſt multorum malorum.* 1. Timoth. VI, 10. Hæc ergò radix mala ex corde eſt reſecanda. *Qui* enim *VOLUNT diteſcere, incidunt in tentationes & laqueos Diaboli.* 1. Tim. VI, 9. Et, *quid prodeſſet homini, ſi univerſum mundum lucraretur, animæ verò ſuæ detrimentum pateretur?* Marc. VIII, 36. Quin ergò ſimus αὐταρκεῖς, & ſorte noſtrâ contenti: Philipp. IV, 11, 12. Heb. XIII, 5. aut, *ſi affluant divitiæ, cor non apponamus*; Pſ. LXII, 11. ſed tantò magis liberalitatem exerceamus. Luc. XI, 41. XII, 33. (6) Intermediam ætatem ut plu-

plurimum divexat *iracundia*; quæ parit rixas, contumelias, verbera, cædes, & hominem ex filio Dei in Diaboli mancipium transmutat. Hîc ergò proprii cordis impulsûs sunt compescendi & abnegandi, & animus in tranquillum statum reducendus. *Neque* enim *ira viri justitiam Dei operatur*. Iacob. I, 20. Quapropter etiam illatas injurias patienter toleremus, & spiritu mansuetudinis aliorum contumelias superemus: *cogitantes* probra Redemtoris nostri, Hebr. XII, 3. qui, *cùm malediceretur, non vicissim maledicebat; cùm pateretur, non comminabatur; tradebat autem judicanti juste*. 1. Petr. II, 23. (7) *Gulæ* quoque *vitium* multis est valdè familiare. Qui tamen veri Christi discipuli sunt, illud abnegant, & seriò ab ipso abhorrent; quia *gravat cor*, & impedit, quò minùs quis justâ vigilantiâ exspectet *diem DOMINI*. Luc. XXI, 34. Ac proinde, potiùs à necessariis abstinent, quàm ut edendo bibendoque intemperantiæ frena laxent. (8) Insuper multos divexat proximi prosperitas, & optatus rerum successus. Hîc abneganda omnis *invidia*. Et cur Satanico

huic

huic malo locum concedamus, cùm in Christo omnes simus unius corporis membra? Benè ergò & velimus & faciamus nobis invicem, donec ad communem illam hæreditatem perveniamus, quam cohæredum numerus non angustabit. (9) *Linguæ incontinentia* quoque in mundo dominatur: unde blasphemiæ in Deum, & obtrectationes in homines, profluunt. Hoc vitium quoque Christiano abnegandum est: custodia ori ponenda, & sedulò *cavendum, ne in linguâ nostrâ delinquamus*. Ps. XXXIX, 2. Est enim lingua nostra *modicum* quidem *membrum*; sed *multum turbarum concitare* potest. Jacob. III, 5. Verus itaque Christianus parcè & utiliter loquitur, & accuratè præponderat, quid, cui, quando, qualiter & quantum sit loquendum. (10) Denique, quia *Superbia* initium est omnium peccatorum, & adhuc hodiè subinde sese etiam piorum cordibus insinuat, sicque omnia etiam rectè facta ipsorum inquinat; hæc quoque tota est abneganda. *Deus* enim *resistit superbis; humilibus autem dat gratiam*. 1. Pet. V, 5. Verus itaque Christianus nihil faciat per contentionem

nem

nem, nihil per inanem gloriam; omnia per humilitatem, ad ædificationem Ecclesiæ, & honorem Dei. Philipp. II, 3.

Ex hac brevi enumeratione manifestum est, quàm latè pateat prima hæc pars regulæ Christianismi, quæ agit de *abnegatione sui.* Nunc inspiciamus etiam Alteram regulæ partem, quæ his verbis comprehenditur: ET TOLLAT CRUCEM SUAM QUOTIDIE.

1. CRUCIS nomine Christus omne genus afflictionum, quæ cum ignominiâ conjunctæ sunt, & homini accidere possunt, intelligit. Afflictionibus autem hoc nomen imponit ad similitudinem suæ crucis, quam ipse, & acerbissimam & probrosissimam ad mortem usque, nostri causâ sustinuit. Vultque hâc voce nos commone facere: (1) quòd afflictiones Ecclesiæ & piorum non leves aut vulgares, sed in summo & extremo gradu sint futuræ. (2) quòd cum externâ ignominiâ, tanquam crucis supplicium, sint conjunctæ. (3) quòd passiones credentium sint sanctificatæ cruce Christi; ne sint signa iræ, sed *indicium salutis*, Philipp. I, 28. Fiunt enim

enim sacrificia Deo placentia, si fiant in fide crucis Christi. (4) Imprimis autem vult nos commonefacere salutaris illius communionis, quam cum ipso hoc nomine habemus, quando ceu membra ipsius, ob nomen ipsius, adversa subimus atque perferimus. Sic enim & nos *adimplemus, in carne nostra, reliquias afflictionum Christi, pro corpore ipsius.* Coloss. I, 24. Quia verò afflictiones homini Christiano sunt perferendæ; sciendum, eas non esse unius generis. ALIÆ enim sunt communes humani generis calamitates, quibus omnes homines, cujusque fidei vel religionis sint, secundum communem naturæ cursum sunt expositi, eò quòd omnes etiam peccato originis sint obnoxii. Hinc homini multa incommoda & molesta accidunt, mox à partu, per omnes totius vitæ ætates. Quis recensere potest dolores, quos inferunt frigus, æstus, fames, sitis, cum multiplicibus morbis, qui unicuique ætati & parti corporis insidiantur? Partus noster, incunabula, infantia, pueritia, adolescentia, juventus, virilis ætas, & senectus, infinitis scatent

tent molestiis. Ut nimis verè dixerint, JACOBUS Patriarcha; Genes. XLVII, 9. *Dies peregrinationis vitæ nostræ pauci & mali!* MOYSES, Ps. XC, 10. *optimum in vitâ nostrâ est labor & dolor!* SYRACH. c. XL, 1. *Jugum grave est super filios Adam, à die exitûs de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium! &c.* ALIÆ verò afflictiones sunt Christianis peculiares, quæ ipsis ob confessionem nominis Christi obveniunt. Dum enim ipsius verbo sincerâ fide adhærent, impiis hujus seculi aliis displicent, qui ipsorum studia minimè probare possunt. Ex hâc displicentiâ nascitur odium, de quo ipse Christus dicit, Matth. X, 22. *odio eritis omnibus propter nomen meum.* Ex odio oritur distractio & *separatio* etiam conjunctissimorum: sic ut liberi à parentibus, conjux à conjuge, frater à fratre, amicus ab amico, vicinus à vicino, separentur. Si enim ullâ in re, certè in religionis caussâ, vel maximè mundani homines conversationem & societatem aversantur piorum. Hanc separationem comitantur *probra*, convitia, & multæ obtrectationes: ubi ve-

ri

ri Christiani hæreseos, seditionis, & aliorum falsorum criminum insimulantur, maledictis proscinduntur. Ad quæ omnia interdum apud aliquos sequuntur carceres, vincula, verbera, condemnationes, exilium, gladius, ignis, perditio. Ut sic vel tandem impleatur illud, quod Paulus dixit: *Omnes, qui piè volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur.* 2. Tim. III, 12. Hæc omnia, & longè plura; qualia etiam sunt paupertas, viduitas, contemtus hominum, & denique amara mors; *crucis* nomine intelligenda veniunt.

2. Deinde docet Christus, quam quisque Christianus crucem gestare debeat. *Tollat*, inquit, *SUAM Crucem*. *Sua* crux homini Christiano dicitur illa: non, quam quisque ipse sibi eligit, fabricat, vel attrahit; sed, quam Deus, qui solus pro suâ sapientiâ & bonitate novit, quid cuivis utile vel necessarium sit, singulis imponit. Genuinus ergò *Christi discipulus* non sibi præsumit, scrupulosè Deo præscribere, quid & quantum sibi imponere, aut quomodo secum agere debeat. Neque etiam, sub cruce consti-

tutus, oculos curiosè ad alios convertit, & cum Petro, Johann. XXI, 22. dicit: *Domine, quid autem hic?* Multò minùs impatienter quiritatur, quasi Deus aliis leviora, sibi autem graviora & difficiliora, portanda imposuerit. Sed in bonâ Dei voluntate patienter acquiescit; certus, Deum omnium optimè novisse, quid ipsi ad refrænandam carnem lascivientem sit maximè conducibile. Ut enim ferox equus sessorem non libenter admittit, sed, si potest, excutit, nisi fræno dometur: ita crux instar fræni est, quo caro nostra domatur, ut tantò faciliùs se à Domini spiritu regi patiatur. Interim tamen, dum Christianus *suam crucem* tolerat, aliorum calamitates non securè negligit: sed *flet cum flentibus*; Rom. XII, 15. ut sic, ex caritate, etiam *aliorum onera portet*. Gal. VI, 2.

3. Emphasis verbi TOLLENDI etiam est expendenda. Neque enim omnis, qui fert crucem, Deo acceptus est; quia multi invito & impatiente animo eam ferunt: sed tantùm is, qui *tollit crucem suam*. Requirit autem hoc verbum alacritatem, ut quis adversa, à

Deo

Deo ſibi deſtinata, volens & libens ſuſcipiat; nec contra Deum, nec contra homines, quos mali ſui auctores eſſe ſuſpicatur, fremat: ſed potiùs cum Apoſtolis, Actor. V, 41. *lætetur, quòd dignus æſtimatus ſit, qui propter Chriſtum aliquid patiatur.* Sciunt enim pii, quod *bujus temporis paſſiones non ſint condignæ, ad futuram gloriam, quæ in ipſis revelabitur.* Rom. VIII, 18. Confidunt etiam Deo, quòd ſit *fidelis, qui non patiatur ſuos tentari ſupra & ultra vires, ſed unà cum afflictione etiam proventum largiatur.* 1. Cor. X, 13. Proinde γνησίως Chriſtiani non nimiùm reformidant crucem, non illegitimis mediis illam excutere nituntur: ſed potiùs *glorìantur in tribulationibus*; Rom. V, 3. *& gaudent, quòd communicant paſſionibus Chriſti, ut in revelatione gloriæ ejus rurſus gaudeant exſultantes.* 1. Petr. IV, 13. In *tollendo* tamen etiam *prudentia* requiritur; ut quis attendat, quid Deus ipſi imponat aut det ad ferendum. In VITIS PATRUM legimus exempla, quòd aliqui ſancti alienam ignominiam & turpitudinem in ſe ſuſceperint ferendam. Hos ego nunquam laudavero; quia non ſuſtule-

runt id, ad quod Deus ipſos vocavit, ſed quod propriâ temeritate ſibi accerſiverunt. Et, ſi ſub illâ cruce perierunt, ſibi, non aliis, imputent.

4. Tandem vult Chriſtus in ſua Regula, ut quisque Chriſtianorum crucem ſuam tollat QUOTIDIE. Cùm enim quævis dies habeat ſuam τὴν κακίαν, Matth. VI, 34. ſuas cruces, labores & afflictiones: imò cùm duodecim ſint horæ diei, quarum ſingulæ, Deo permittente, (ut Job I, 14. factum eſt) ſuas miſerias immittere poſſunt; non poteſt ſibi Chriſtianus vacationem à cruce promittere, quàm diu in mortali vivit corpore. Perſeverantia itaque in malis, & animi *conſtantia* in cruce ferendâ, requiritur: nequis retrò reſpiciat, néve animo deficiat, ſed ad finem usque perſeveret, bonam militiam militet, fidem & bonam conſcientiam ſervet; ut olim coronam juſtitiæ, in vitâ æternâ repoſitam, accipiat. Nam certum eſt: *qui in lacrymis ſeminant, in exſultatione metent*. Pſ. CXXVI, 5. Bona igitur faciendo, & adverſa patiendo, non deficiamus. *Tempore* enim *ſuo metemus etiam non deficien-*

cientes. Gal. VI, 9. Hæc eſt altera pars regulæ Chriſti.

Sequitur Tertia, quæ eſt de ſequelâ & imitatione Chriſti. Dicit enim Servator noſter; ET SEQUATUR ME. Quibus verbis vult, ut nos Chriſtiani nos totos ad ipſius, ceu Magiſtri noſtri, exemplum componamus, & veſtigiis virtutum ipſius inſiſtamus, donec eò perveniamus, ubi ipſe nunc eſt in gloriâ Patris. Non vult, ut divinæ ipſius virtutis opera, quæ ſunt miracula, imitemur. Hæc enim Pater dedit Filio, ut teſtimonium de ipſo perhiberent, quòd Pater miſerit Ipſum. Joh. V, 36. Et nobis imitatu iſta ſunt impoſſibilia. Sed hoc requirit: ut, quoniam ipſe ſeipſum ſalutis noſtræ cauſſâ, abnegavit; quoniam quotidie crucem ſuam ſuſtulit; quoniam perfectiſſimum obedientiæ erga Deum, innocentiæ, juſtitiæ, humilitatis, caritatis erga proximum, adeoque omnium virtutum exemplar nobis prætulit; in illis ipſum imitemur & ſequamur. Nihil à nobis requirit, quod non ipſe Dominus & Magiſter noſter prior feciſſet.

Turpe ergò fuerit, ſi nos, ſervi & diſcipuli, hanc regulæ partem exſequi nolimus. Quis enim bonus miles recuſat aggredi id, quod Ducem ſuum facere videt? Dumque præcipit, ut ſe *ſequamur*, innuit; ſe noſtrum Ducem & auxiliatorem futurum, ut metam præfixam conſequi queamus. Etenim Ipſe doctrinâ ſuâ nobis viam ſalutis aperit & monſtrat. Idem, ubi via difficilis videtur, exemplo ſuo præit. Si quando nos ex carnis imbecillitate languidi reddimur, ille ſalutaribus monitionibus & dulcibus conſolationibus nos rurſus excitat, novis viribus nos inſtruit, & Spiritu ſuo Sancto tantisper nos confirmat, donec ex omnibus anguſtiis eductos nos æternæ ſalutis participes reddat.

Cæterùm, ſi quis hanc partem regulæ Chriſti, quæ agit de *ſequelâ* ejusdem, rectè intelligere velit; ille ad tria attendere debet. Unum eſt: ut cognoſcat *viam* ſalutis, eamque per fidem ingrediatur. Alterum: ut in eâdem viâ per *Sanctimoniam* vitæ progrediatur. Tertium: ut ad *metam* vitæ & gloriæ cœleſtis contendat.

1. Ante

1. Ante omnia vera via ad vitam & ſalutem magnâ diligentiâ eſt cognoſcenda. Eſt enim etiam alia *via*, eaque *ſpatioſa, quæ ducit ad perditionem; & multi ſunt, qui intrant per illam.* Matth. VII, 13. Veriorem autem & certiorem viam ad vitam invenire non poterimus, quàm eam, quam cœleſtis Pater nobis paravit. Neque enim nos homines nobis ipſis viam ad ſalutem eligere, ſive poſſumus, ſive debemus: ſed, à Deo electam & probatam, diligere atque apprehendere debemus. Iccircò quoque Chriſtianus cum Davide dicit, ex Pſalm. XXV, 4. *Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me!* Illa verò via eſt Chriſtus, qui de ſe ipſo in Evangelio dicit: *Ego ſum via, veritas, & vita*; hoc eſt, Ego ſum vera via ad vitam æternam: *Nemo venit ad Patrem, niſi per me.* Joh. XIV, 6. Hanc viam magno deſiderio quærere, & inventam majori ſtudio addiſcere debemus: quod fit uſu verbi Divini, dum illius auditione, lectione & meditatione, Chriſtum verâ fide apprehendimus, & in ipſius agnitione de die in diem creſcimus. Hac de cauſſa ipſe nos jubet

Scripturas ſcrutari; ſiquidem in illis vitam æternam habeamus, & illæ ſint, quæ teſtimonium perhibeant de Ipſo. Joh. V, 39. Hanc ergò viam Salutis ingredimur omnes, quando per Baptiſmum Chriſto nomen damus, & cœleſtem doctrinam, ab ipſo traditam, amplectimur.

At verò omnibus notum eſt, quòd ſolâ viæ notitiâ nemo ad ejus metam perveniat, niſi illam etiam ambulet. Iccircò ſecundò opus eſt, ut quisque Chriſtianus hanc viam vero *ſtudio pietatis* ambulet, hoc modo; ut quotidiè magis ac magis, à ſe ipſo, à Satana, à mundo longiùs recedat, & propiùs ad DEUM accedat. Et hæc ambulatio eſt vera ſequela Chriſti, quam is hoc loco requirit: ut diſcipulus omnem vitæ ſuæ converſationem ad ipſius exemplum componat. Siquidem novit, Chriſtum Magiſtrum dixiſſe: *Exemplum præbui vobis; ut, ſicut Ego feci, ita & vos faciatis.* Joh. XIII, 15. Hoc exemplum ſi Chriſtianus rectè imitari velit, neceſſe eſt, ut ad tria reſpiciat: ad *Deum*, ad *proximum*, ad *ſeipſum.* Ut juxta Pauli dictum, Tit. II, 12. Ευσεβῶς, *piè* erga Deum, δικαίως, *juſtè* erga

erga proximum: *σωφρόνως, temperanter* erga se ipsum vivat. Hæc enim tria Christus in sua vita perfectè exsecutus est. Primò, erga cœlestem suum Patrem se pium exhibuit, ipsum glorificando, eum invocando, ipsi constanter obediendo, & erga eum se sanctè humiliando. In his Christianus Christum Ducem & Magistrum imitetur, ut primò in omnibus suis actionibus quærat DEI gloriam; & omne, quod cogitat, quod molitur, quod agit, spiret Dei gloriam, juxta Apostoli dictum: *Quicquid facitis, omnia in gloriam Dei facite!* 1. Cor. X, 31. Ut ita verè olim, mundo valedicturus, cum Christo dicere possit: Joh. XVII, 4. *Ego te glorificavi, Pater, super terram!* Deinde, in omnibus necessitatibus, DEUM assiduè & devotè invocet. Sic enim Christus ipse docuit; Luc. XVIII, 1. quoniam *oportet semper orare:* suoque exemplo nobis præivit. Quoties magni quid instituere voluit, prius oravit. Luc. VI, 12, 13. electurus Apostolos, *pernoctavit in oratione.* Sæpe secessit in desertum locum, aut in montem, ut ibi oraret. Joh. XVII, 1. *sublevatis in cælum oculis* ardentissime

precatus est, in præsentiâ Apostolorum. Marc. XIV, 35. *procidit super terram, & oravit.* Denique in cruce, *cum valido clamore & lacrymis preces & supplicationes suas obtulit ei, qui potuit ipsum à morte salvum facere; & exauditus est pro suâ reverentiâ.* Hebr. V, 7. Nam, tertiò, in Christo eluxit exemplar perfectissimæ obedientiæ erga Patrem; quod ipse Paulus, Philipp. II, 8. eximiè deprædicat. Ita enim obediens fuit, ut D. BERNHARDUS rectè de ipso dixerit: *Vitam perdidit, ne obedientiam perderet.* Ita verus Christianus totus subjectus sit DEO: cum Christo dicat, Luc. XXII, 42. *non mea voluntas, sed Tua fiat!* Mea enim voluntas semper est perversa: Tua autem voluntas nunquam non est justa, recta & bona. Det ergò Christianus operam, ut, quamprimùm Divinæ voluntatis sententiam percipit, ei promtè, libenter, simpliciter, hilariter, velociter, viriliter, humiliter & indesinenter obtemperet. Mandatum DEI sui non procrastinat; sed, quamprimùm aures voluntatem Dei perceperunt, è vestigio manus operi, pedes itineri adaptat, ut imperantis mandatum ex-

sequa-

sequatur. Et hæc omnia denique facit admirandâ humilitate, sicuti Christus eâ nobis præivit. Qui cùm esset in *formâ Dei, non* tamen *rapinam arbitratus est, parem esse Deo, sed seipsum exinanivit & humiliavit, formâ servi assumtâ.* Philipp. II, 6. Ideò dicit nobis, Matth. XI, 29. *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Pudeat nos elationis & superbiæ: quia *humilia DEUS respicit in cælo & in terrâ.* Psalm. CXIII, 6. Omnes igitur invicem humilitatem insinuemus: ut dicit Petrus, 1. Epist. V, 5. maximè autem erga DEUM: ita, ut, *si omnia fecerimus, quæ nobis præcepta sunt, tamen dicamus; Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* Lucæ XVII, 10.

2. Erga *proximum*, sive homines, se δίκαιον & probum exhibuit caritate sincerâ, beneficentiâ perfectâ, mansvetudine incredibili, & justitiâ absolutâ. Hasce virtutes etiam alii Christiani, in vitâ suâ, erga proximos imitari debent. (1) *Caritas* Christi perfecta fuit: quia *majorem caritatem nemo habet, quàm qui animam pro amico ponat.* Joh. XV, 13. Hanc autem Christus erga omnes homines habuit: ut qui pro nobis mortuus sit, cùm adhuc

pec-

peccatores & inimici ipsius essemus. Rom. V, 8. Ergo & nos Christiani consimilem caritatem exerceamus erga alios. Nam *hoc novum mandatum nobis dedit;* Joh. XIII, 34. *ut, sicut ipse dilexit nos, nos invicem diligamus.* Dilectio autem hæc esse debet sine fuco, sine simulatione & dolo; ut, *non verbo, neque linguâ, sed opere & veritate* nos invicem diligamus. 1. Joh. III, 18. Caveant Christiani, ne sint *æra sonantia*, & *cymbala tinnientia*, caritatem non habentia, 1. Cor. XIII, 1. si viam vitæ dextrè decurrere velint: sed, ut ignem sancti & casti amoris intra præcordia conceptum habeant, quo proximum suum persequantur. (2) Caritati annexa est *beneficentia*, quâ Christus omnibus exemplo præluxit: quia *pertransiit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à Diabolo.* Actor. X, 38. Unde populus, Marc. VII, 37. hoc præconio ipsum ornavit: *Omnia benè fecit; verè omnia benè fecit!* esurientes cibavit, sitientes potavit, omnem languorem & infirmitatem in populo sanavit: corporibus sanitatem restituit, animabus salutem peperit, hostium denique conversionem quæsivit. Hujus

be-

beneficentiæ & communionis nullus Chriſtianus oblivifci debet: quia *talibus victimis delectatur DEUS.* Hebr. XIII, 16. Benè mereri itaque ſtudeamus de omnibus: ſiquidem, Chriſto teſte, *dare* ſemper *beatius eſt, quàm accipere.* Actor. XX, 35. (3) *Manſvetudinis* quoque Chriſtianus in communi vitâ non debet oblivifci. *Omnes enim erramus multoties in omnibus.* Jac. III, 2. Quapropter, ſi, quando proximus nos offendit, iræ impetum moderemur, & mala æquo animo tolerare diſcamus; proximus etiam noſtras infirmitates eò patientiùs ferre diſcet. Chriſtus dixit: *diſcite à me, quia mitis ſum.* Matth. XI, 29. Verè mitis fuit, qui diſcipulorum ſuorum innumeras infirmitates æquanimiter tulit: Judam proditorem magnâ patientiâ diu ſuſtinuit. Malchum, vincula ipſi parantem, à Petro ſauciatum, ſanavit. Denique, pro crucifigentibus ſe, Patrem rogavit. Hæc & ſimilia imitemur, inimicos diligamus, benefaciamus his, qui oderunt nos: oremus pro perſequentibus, & calumniantibus. Sic opere commonſtrabimus, nos *filios eſſe Patris, qui in cælis eſt.* Matth. V, 44.

(4)

(4) Denique diximus, Christum etiam in vitâ communi *justitiæ* observantem fuisse, & in eo quoque nobis exemplum prætulisse. Magistratui enim, tanquam verus homo, subditus fuit: *didrachma pro se & pro Petro solvit:* de tributo interrogatus, *Cæsari, quæ Cæsaris sunt, dare* jussit: ad regnum quæsitus, se abscondit: neque unquam rem alienam appetiit, aut sibi vindicavit. Hoc exemplum imitemur: omni ordinationi divinæ subjecti simus; honorem cui honorem, tributum cui tributum, timorem cui timorem, reddamus: justi simus in operibus, in verbis, in literis, in contractibus: exerceamus officia humanitatis, & studiosi simus conservandæ societatis humanæ; deque æquitate & justitiâ commonefacti, caveamus, DEUM vel homines offendere.

3. Qua parte Christianus in vitæ conversatione *se ipsum* spectare, & operam dare debet, ut σωφρόνως vivat: ibi animadvertit, sibi sanctimoniam vitæ Christi imitandam esse; quæ certè tanta fuit, ut, Prophetâ teste, *nihil falsi, nihil fraudulenti unquam in ore ejus inventum sit.*

Ef.

Eſ. LIII, 9. 1. Pet. II, 22. Unde ipſe in medio acerrimorum hoſtium dixit: *Ecquis veſtrûm arguet me de peccato?* Joh. VIII, 46. Licet autem in tali vitæ innocentiâ Chriſtum nunquam conſequi poſſimus coram Deo: coram hominibus tamen ita vivendum eſt, ut vita noſtra culpâ vacet, & criminis ſuſpicione careat. Verus itaque Chriſtianus omnes ſuos ſenſûs, geſtûs, ſermonem, motum & habitum, quantum ipſi poſſibile eſt, ita gubernat, ut quaſi Chriſtum exprimat. *Oculos* cum Chriſto avertit à vanitate mundi, & convertit ad videndas miſerias proximorum, ut illis ſubveniat. *Aures* circumcidit, ut piè & prudenter iis illud tantùm hauriat, quo cor emendetur in honorem Dei & proximi commodum. In *ſermone* DOMINI mira fuit ſuavitas, ſingularis humilitas, admirabilis prudentia, ſincera ſimplicitas, nervoſa gravitas, ingens caritatis incendium, interdum etiam juſta Zeli vehementia. Has ſermonis virtutes æmulari ſtudeamus, ut os noſtrum non reſolvamus, niſi in laudem Dei, & proximi ædificationem. Chriſti etiam *pe-*

re-

peregrinationes exemplum dedêre religionis & pietatis. Iter fecit ad templum: inter eundum ſermocinatus eſt cum diſcipulis de rebus cœleſtibus: caſtella, vicos, & civitates perluſtrans, hominibus ſalutem corporis & animæ attulit: integras denique provincias perambulavit, & in privatas domos multorum penetravit, ut paſſim omnibus benefaceret. Act. X, 38. Sic nos quoque Chriſtiani non debemus domi deſidere, ignavo otio torpere, ſicque Diabolo pulvinar parare: ſed pedes noſtros debemus convertere ad ſemitam mandatorum Dei, fidei & virtutum. Omnes greſſus noſtri directi eſſe debent, ad gloriam Dei, & hominum utilitatem. Chriſtus denique non fuit μισάνθρωπος, ſed familiariter *converſatus* eſt cum hominibus: venit ad nuptias: diſcubuit in conviviis Phariſæorum & Publicanorum: nemini tamen uſpiam offendiculum præbuit, ſed paſſim, vel peccatores convertit, vel hoſpitibus rectè vivendi præcepta tradidit. Sic etiam Chriſtianus diſcumbendo, veſcendo, colloquendo, hoc unicè quærit, ut Dei gloria propage-

getur, veritatis doctrina provehatur, & salus proximorum promoveatur.

Hactenus de viâ salutis actum est, per quam nos Christiani Christum, salutis τὸν ἀρχηγὸν, Hebr. II, 10. sequimur. Superest, ut etiam aliquid de *metâ* viæ, seu fine, dicamus, ad quem Duce Christo tendimus. Nemo enim sanus unquam alium secutus est, si ignoraret, quo eum perducturus esset. Meta autem est cœlestis patria, beata vita, æterna salus. Quemadmodum enim Christus tandem sub finem vitæ per crucem, passionem & mortem, *intravit in suam gloriam;* Luc. XXIV, 26. ita & nos, si constanti fide ipsum secuti fuerimus, ad eandem gloriam adducet, ut *finem fidei nostræ, animarum salutem, reportemus.* 1. Petr. I, 9. Sic enim ipse promisit: Joh. XVII, 26. *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic & minister meus erit.* Joh. XIV, 12. *In domo Patris mei parabo vobis locum, & rursus veniam, atque assumam vos ad me ipsum, ut, ubi sum Ego, & vos sitis.* Joh. XVII, 24. *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut, ubi sum Ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Paulus, Philipp. III, 14. hanc

Christi consectationem vocat διώκειν κατὰ σκοπὸν, *scopum versus ferri*, ad βραβεῖον & palmam *supernæ vocationis Dei, in Christo Jesu.* Ex fiduciâ illarum promissionum Christi, ibidem v. 20. dicit: πολίτευμα, *municipium & conversatio nostra est in cælis; unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui transformabit corpus nostrum, ut conforme reddatur corpori ipsius glorioso.* Hanc metam ubi consecuti fuerimus, ibi, perfuncti omni labore viæ, *requiescemus a laboribus nostris.* Apoc. XIV, 13. ibi DOMINUS *absterget omnem lacrymam ab oculis nostris; & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor.* Apoc. XXI, 4. Ibi restituetur nobis imago Dei, per lapsum amissa: ut, *quemadmodum in hac vitâ portavimus imaginem terreni Adami, sic in illâ portemus imaginem cælestis.* 1. Cor. XV, 49. Ibi *veniet perfectum, & evacuabitur imperfectum:* ibi *cognoscemus, sicut nunc cogniti sumus.* 1. Cor. XIII, 10. 12. Ibi veri Christiani *fulgebunt, ut Sol in regno Patris:* Matth. XIII, 43. et, *qui multos ad justitiam erudierunt, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Dan. XII, 3. Ibi *aggregabuntur sancto angelorum concilio, & omnium Patriarcharum,*

Pro-

Prophetarum, *Apostolorum*, *Martyrum*, *adeoque sanctorum fidelium consortio*, *qui conscripti sunt in cælis*: Hebr. XII, 23. imò erunt ἰσάγγελοι καὶ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, angelis pares & filii Dei. Luc. XX, 36. Ibi jucundissimâ fruentur consvetudine, cum Deo suo Creatore, Conservatore, Redemtore, Sanctificatore, Salvatore: Quem de facie in faciem intuentes, æternâ perfruentur lætitiâ; quia *Deus* erit *omnia in omnibus*, 1. Cor. XV, 28. & *ipsi similes Ei erunt*. 1. Joh. III, 3. Quis hîc effabitur, quanto gaudio animi Christianorum perfundentur? Ibi exsultabimus gaudio inffabili & glorioso. 1. Petr. I, 8. Nam *nec oculus vidit*, *nec auris audivit*, *nec in cor hominis penetravit id*, *quod Deus præparavit diligentibus se*. Jes. LXIV, 4. 1. Cor. II, 9. *O quando veniam* (ut cum August. Soliloq. c. XXXV, dicam) *& apparebo*, *DOMINE! ante faciem Tuam? O dies præclara & pulchra*, *nesciens vesperum*, *non habens occasum*, *in quâ audiam vocem laudis*, *vocem exsultationis & confessionis? In quâ audiam*; *intra in gaudium Domini tui! intra in gaudium sempiternum*, *in domum Domini Dei tui*, *ubi sunt magna & inscrutabilia mirabilia*, *quorum non est*

numerus! intra in gaudium sine tristitiâ, quod continet æternam lætitiam, ubi erit omne bonum, & non erit aliquod malum: ubi erit, quicquid voles, & non erit, quicquid noles. O gaudium super gaudium: gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium!

Hæc aliquantò prolixiùs in auream illam regulam, quam *CHRISTUS SERVATOR* sectatoribus suis præscribit, commentari libuit.

Quæ quidem, sic finita, CHEMNITIANA EXPLICATIO, eò magis accepta nobis fuerit, si reputemus; (1) Regulam Dominicam *omninò omnes atque singulos, qui CHRISTO S. Baptismi Sacramento obligati sunt, devincire tantopere, ut, eam negligens, spe salutis æternæ excidat:* (2) *neque isthanc exercendæ illius necessitatem restringendam, sive à solo persecutionis casu, vel alio adverso tempore, suspendendam esse; immò verò, nullam vivendi rationem ab istâ liberam, seu immunem, statuendam.*

Utrumque etenim perspicitur exquisitissimè, dummodo in IV. Evangelistis, ubi Regula hæc nostra & pronunciatur & inculcatur, piè observemus: Servatorem *præmittere mentionem instantis* suæ Passionis Mediatoriæ, & *hinc derivare* (non meriti, *quasi à nobis simul præstan-*

ſtandi, ſed tantummodò ineundi ordinis *pædagogici cauſsâ) obſequium fidei & imitationis communisſimum; idque* crucem *appellare* quotidianam, *ſine exceptione ullius conditionis, aut diei in vitâ Chriſtiani cujuslibet univerſâ. Luc. IX, 23. conf. c. XIV, 26, 27, 28. 33. Quando autem Petrus interveniebat, diſſuadendo ejusmodi inuſitatam ac voluntariam patientiam: Matth. XVI, 22, 23. Marc. VIII, 32, 33. inde capiebat anſam DOMINUS, Suam illam Regulam multò ardentiùs inſerendi, quippe vulgari mortalium errori, contrariâ methodo, medentem. Primò enim, Simonis prudentiam, ut negat veram exiſtere, hoc eſt, quidquam* Divini *ſapere, ita inſaniæ potiùs corruptorum* hominum *arguit. Tum porrò, ne videatur ſolis XII. diſcipulis peculiare onus imponere; præſentem populum unà cum iis* convocat, *cunctisque promiſcuè auditoribus viam Crucis proponit amplectendam, ſi quid Divini admittere, neque in caligine humani generis miſerrimâ perire velint. Quamobrem, ante & præter cætera, optimè animadvertit CHEMNITIUS, AD OMNES* CHRISTUM *DIXISSE, quod Hic, tanquam normam, ſuis reliquit omnibus.*

Quod ipſum quantò remotius à depravati mundi opinione eſt, tantò majorem meretur laudem

dem opera Chemnitiana, quæ nobis Canonem, *adeò ſalutarem, adeò expeditè ad omnes omnium, & perſonarum, & rerum, & verborum contemplationes, accommodatum repræſentat. Utinam, vel Petrino exemplo, ſatis cauti magis magisque evadamus; nec tam facilè, ut ferè fit, more hodierni ſeculi,* Theologicam Chriſtianamvé prudentiam *interpretemur eam, quæ* non ſapit, quæ DEI ſunt, ſed quæ ſunt hominum, Marc. VIII, 33. dijudicantium ſpiritualia haud ſpiritualiter! 1. Cor. II, 13, 14. *O miſerere etiam noſtrûm, DOMINE!* amentium & tardorum corde ad credendum omnibus, quæ nunciârunt Prophetæ; *quomodo* Chriſtum oporteat pati, & introire in gloriam ſuam. Luc. XXIV, 25, 26. *Tuum da nobis* Spiritum, qui nos doceat Tuas perpeſſiones, *membrorum quoque tuorum proprias,* & gloriam, illas conſequuturam! 1. Petr. I, 11.

Gloria Victori, Mundum Qui & Tartara calcat!

